


In hoc volumina continentur

1. Andrii G. diff: an et quomodo Deus peccata peccati puniat
2. Abelii viciosa suspensio — divina circa lapsum Adami contra Leibnizium
3. Weisii diff: de memento sp. s. officio
4. Bejer diff: de aere mortis
5. Celarii de auctoritate loc. s. et numero librorum canonicorum
6. Barvi diff: quos operatores oratio — Trismismonia
7. Aaron Maronitum סדר ענותי הרה"ק sine de passionibus Xpi consuetudo.
8. Willii de iustitia dei punctura
9. Melner de processione sp. s.
9. De auctoritate motuum progr. paschal.
10. Andrii comment. de vita fidei.
11. Commanens sine 2 annis de vocatione Dei ad salutem, variis eius gradibus, etiam, ab aliis
12. Trubert de modo accendi cum in qui fides non sentitur
13. Trubert de delin. christi (systematis pelagianis)
14. Trubi de libro christi contra pelagianos, error diff:
15. Carsonii de quantitate immutabilitatis voluntatis naturalis per revelationem divinam.
16. Trubert de nexu consuetudinis, iustificationis & participationis, ex sententia libr. / symbolorum d. III:
17. id. 4. 10.
18. Trubert de nexu verae pietatis cum punctibus doctrinae ad Eph. 1. 10.
19. Weismanii de praedictio quod erroris veritatis per negans cum veritatis acceptis per diff:
20. Andrii G. diff: sententia Wittonii de multiplici Xpi in color accipere, opposita, de qua:
21. Leffery de questionibus unum sp. s. ad Trinitatem, erroris, contra gratianum comment.
22. Jandoli de iustificatione, erroris, contra Trinitatem diff:
23. Barth de capite ecclesiae, erroris, contra Eph. 1. 20-23 diff:
24. Trubi de vera et reali praesentia corporis & sanguinis I. C. in S. Coena diff:
25. Trubi de praesentia Theob. auctoritate, biblica diff:
26. Trubi de peccato in sp. s. diff:
27. Trubi de unione divina in humana christi natura diff:
28. Trubi de rationibus indistinctibus diff:
29. Trubi de infirmitate hominis praesentis pendit lapsa contra naturam diff:
30. Trubi de infirmitate divina in homine per lapsum perditam diff:
31. Trubi de auctoritate circa mysticorum hominum interpretibus, propriis, adhibenda
32. Progr. de pace inter hominum restituta fructa mortis I. C.

LOCA  
n. h. 1. quae explicata  
conspiciuntur  
sunt.

N. 23 Eph. 1. 20-23.  
10 - - 11. 10.



17/10  
DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
NEXU CONVERSIONIS  
IUSTIFICATIONIS ET SANCTIFICATIONIS  
EX SENTENTIA  
LIBRORVM SYMBOLICORVM

---

QVAM  
SVB PRAESIDIO  
IOHANNIS BENEDICTI  
CARPZOVII

ABBATIS MONASTERII REGIOLOTHARIENSIS  
SACR. THEOLOGIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS  
PVBLICI ORDINARII

A. D. XXIII IVNII A. I. S. MDCCLXI  
IN  
AVDITORIO MAGNO THEOLOGICO  
PVBLICE TVEBITVR

AVCTOR  
M. IOH. CHRISTOPHORVS ALBER  
WVRTENBERGO SVEVVS

---

HELMSTADII  
LITERIS IOHANNIS DRIMBORNII

DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
NEXU CONVERSIONIS  
INSTITUTIONIS ET SANCTIFICATIONIS  
EX BENTLEY  
LIBRORUM SYMBOLICORUM

QUAM  
SUB PRESEIDIO  
IOHANNIS BENEDICTI  
CARPZOVII

ABRATIS MONASTERII THEOLOGICI  
HABITUS DOCTORIS ET PROFESSORIS  
PUBLICI ORIGINARI

A. D. XXIII IULII A. M. DCCLXXI  
IN  
AUDITORIIS MAGNO THEOLOGICO

LECTURAE THEOLOGICAE  
ACTOR  
M. IOH. CHRISTOPHORVS ALBER  
WARTENBERGO CAEVS

HELMSTADII  
LIBRIS IOHANNIS GILBERTII



DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

NEXV CONVERSIONIS, IVSTIFICATIONIS  
ET SANCTIFICATIONIS

EX SENTENTIA LIBRORVM SYMBOLICORVM

CAPVT I

DE CONVERSIONE ET REGENERATIONE

**I**n felicissima ista, siue infantis, siue adulti hominis, mutatione, qua illi ex flatu irae in gratiam diuinam transferuntur, omnia quae eueniunt, haec in libris Ecclesiae nostrae Symbolicis, nonnunquam *conversionis*, vel *regenerationis*, nonnunquam *renouationis*, atque *uiuificationis*, appellatione comprehenduntur. "Vocabulum Regenerationis, (verba sunt *Sol. Declay. Art. III. p. 686. Edit. Recbenb.*) interdum eo sensu accipitur (a), vt simul et *remissionem peccatorum*, (quae duntaxat

*Notio  
Conuer-  
sionis.*

(a) Hanc vocum varietatem diuersitatemque, nec leuitatis argumentum, nec indicium malae causae esse, aequus interpres iudicabit. Formulae ac methodus, quam sequimur in docendo, quamuis ad proponendam veritatem doctrinae, et puritatem adhibentur, non ipsa tamen doctrina vel veritas sunt. In *Sol. Decl. p. 707.* distinguitur *forma* sanctorum verborum ab ipsa *sincera doctrina*. Ex Scripturae sa-

cræ doctrina, formulas; non doctrinam ex formulis diudicamus. Libri Symbolici, diuersorum scriptorum opus, vno non anno absolutum, vni nec sectae, sed pluribus oppositum, sunt. Dies docet diem; et curae posteriores prioribus semper sapientiores. Non immerito leuitatis mutataeque incurrunt doctrinae suspicionem, qui res omnino inter se distantes incrustant formulis iisdem; qui ita per-

A

taxat propter Christum contingit,) et subsequentem re-  
 nouationem, complectatur. Quandoque etiam so-  
 lam remissionem peccatorum, et adoptionem in filios Dei, si-  
 gnificat. (Et in hoc posteriori usu saepe multumque id  
 vocabulum in Apologia Confessionis adhibetur." Et  
 paucis interiectis: "Deinde etiam regeneratio pro sancti-  
 ficatione et renouatione usurpatur." Restat tertia signifi-  
 catio vocis *conuersionis*, diuo LVTHERO obseruata in  
*Cat. mai. p. 529.* "Est triplex tentatio seu (vt Saxones hi  
 nostri iam olim loquuti sunt,) *conuersio*, videlicet carnis,  
 mundi, et diaboli." Cui haec vocabulorum varietas  
 in promptu est, is parum haerebit in his formulis loquendi:  
 "Regeneratio fit perpetua vetustatis mortificatione. (*A-*  
*pol. Art. VI. p. 192.*) *Iustificatio nouum cor acquiritur.*"  
 (*Art. Smalc. p. 336.*) "Chirographum istud, quod contra  
 nos est, non sine magno dolore deletur. (*Apol. Art. III.*  
*p. 134.*) Sanctificare, nihil aliud est, quam ad Christum ad-  
 ducere. (*LVTH. Cat. mai. p. 497.*) Quum in hac vita tan-  
 rum primitias Spiritus acceperimus, et regeneratio non-  
 dum sit *absoluta*, sed solummodo in nobis *inchoata*; ma-  
 ner perpetua lucta." (*Sol. Decl. Art. II. p. 67.*)

inaciter defendunt loquutio-  
 nes suas, vt omnem expli-  
 cationem reiiciant; qui obscu-  
 ris, vagis, ambigujs phra-  
 sis dogmata inuoluunt. At qui  
 eandem ad doctrinam expri-  
 mendam, non vna, sed plu-  
 ribus vtuntur phrasibus; qui  
 loquutioni non satis commo-  
 dae aptiorem substituunt; qui  
 explicant formulas, limitant,  
 his adiciunt; hi non leues,  
 nec insidiosi, sed prudentes

ac sinceri habendi sunt. Atta-  
 men illud non impedit, quo  
 minus certum, quod in *Sol.*  
*Decl. p. 707.* monetur: "Lon-  
 ge tutissimum est, formam  
 sanctorum verborum non mi-  
 nori diligentia, quam ipsam  
 sacram doctrinam retinere,  
 qua ratione multis non ne-  
 cessarijs concertationibus an-  
 ta praeciditur, et multa in  
 Ecclesia Dei offendicula prae-  
 cauentur."



olq' xz lev. obantullu e II gob tod ni sbuid) esop  
 109 Primaria vis ac potestas vocum Conuersionis et Re- *Definitio*  
 generationis est haec, qua in *Sol. Decl. Art. II. p. 679*, "con- *Conuersio-*  
 uersio hominis, dicitur, talis immutatio, per operatio- *nis.*  
 nem Spiritus Sancti in hominis intellectu, voluntate et  
 corde, qua homo potest oblatam gratiam apprehende-  
 re." Quod si quem haec verba, potest apprehendere, of-  
 fendunt, quasi illis non ipsa Conuersio, quae in actu po-  
 nitur, sed remota eius quaedam possibilitas, dispositio  
 animi, atque praeparatio ad Conuersionem, indicetur;  
 is MELANCHTHONEM audiat, quo is pacto modum ac  
 ordinem Conuersionis distincte explicet in *Apol. Art. II.*  
*p. 71.* "Praedicatio poenitentiae (ait,) quae arguit nos,  
 perterrefacit conscientias veris et seriis terroribus. In  
 his corda debent rursus concipere consolationem. Id  
 fit, si credant promissioni Christi, quod propter ipsam  
 habeamus remissionem peccatorum."

III  
 Quamuis voluntas hominis habeat aliquam liberta- *Vires li-*  
 tem ad efficiendam ciuilem iustitiam, et deligendas res *beri Ar-*  
 rationi subiectas; (*Aug. Conf. Art. XVIII. p. 14.*) quamuis *bitur.*  
 humana etiam ratio post lapsum locomotiuam potentiam  
 retinuit, qua externa regere membra, Euangelium au-  
 dire, meditari, ac de eo differere potest: (*Sol. Decl. Art. II.*  
*p. 662.*): tamen haec omnia non impediunt, quo mi-  
 nus affirmare liceat, intellectum hominis non renati, cor  
 et voluntatem, in rebus spiritualibus ac diuinis, ex pro-  
 priis naturalibus viribus, nihil intelligere, credere,  
 amplecti, cogitare, velle, inchoare, perficere, agere,  
 cogitare posse, sed hominem ad bonum profus corru-  
 ptum esse. (*loc. cit. p. 656.*) Vnde homo naturalis et non  
 renatus, mortuo (in peccatis) duro lapidi qui ad tactum  
 non cedit, rudi item trunco, interdum ferae indomitae,  
 statuae etiam salis, comparatur. Haec atque alia similia,

quae subinde in hoc dogmate illustrando, vel ex ipso  
 sacro codice deprompta, vel ad illius analogiam effor-  
 mata, adhibentur, hunc habent usum, ut rem, cuius  
 explicandae causa inseruiunt, breui quadam non defi-  
 nitione, sed descriptione, illustrent amplificantque. At  
 quum similitudines huiusmodi et figuratae loquutiones  
 in theologiam inferuntur, in qua omnia accurate defi-  
 nienda erant, fieri solet, ut figurata e dictione, quum ea  
 extra limites extendatur, aequiuocatio; et ex hac vero,  
 controuersiae de verbo oriuntur. Sacrae literae si figu-  
 ris utatur, semper indices addunt quosdam, quibus  
 significatur, quo illae figurae primario pertineant, et  
 quinam illi termini sint, in quibus similia atque compa-  
 rata conueniant cum ipsa re, cui explicandae inseruiunt.  
 Quum hominem esse *mortuum* dicant, addunt, in *pecca-  
 tis*. Hac vna phrasi, foecundissima illa sensuum caele-  
 stium, huius mortis spiritualis causam, cum remotam,  
 tum proximam; formam deinde, quae perseverantia in  
 peccato inest, et effectus complectuntur. *Durum* lapi-  
 deumque *cor* semper *carneo* opponitur. Ex qua oppo-  
 sitorum ratione intelligitur, in quo inest comparatio;  
 nempe in aliqua habilitate, factam impressionem reci-  
 piendi ac conseruandi, quae in carneo corde maxima,  
 in lapideo nulla est. Fanatici quidam, formulas *LVTHE-  
 RI*, qui per originale peccatum ipsam hominis *essentiam* ac  
*naturam* corruptam esse dixit, et propterea peccatum ori-  
 ginale, peccatum *essentiale*, *substantiale*, *personale*, pecca-  
 tum *naturae*, appellauit; male interpretati sunt. Puta-  
 runt, quasi culpa primorum parentum nihil in homine,  
 quod ad illius *essentiam* atque formam pertinet, fecerit  
 reliquum; quasi hominem totum non corruerit solum,  
 verum destruxerit plane, animaque rationali, et omni-  
 bus animae facultatibus exutum, brutorum animantium  
 numero aggregarit. His Fanaticis, siquidem consentire  
 sibi volebant, necessario erat eo deueniendum, ut Con-  
 uerfi-

uerfionem ac Regenerationem, non immutationem animi, sed nouam creationem, esse, immediata Dei potentia efficiendam, statuerent. Huic errori vt obuiam irent diui Confessores, ita statuerunt: "Quum homo etiam post lapsum sit rationalis creatura, neque absque auditu et meditatione verbi diuini (quae supponunt facultatem animae qualemcunque intelligendi et diiudicandi ea, quae proponuntur) conuertatur: eo certe respectu non est truncus vel lapis. Lapis enim et truncus non relinquitur ei, a quo mouetur, sed neque intelligit et sentit, quid secum agatur. (Sol. Decl. Art. II. p. 612.) Quare quum de eo agitur, quomodo Deus in homine operetur, concedi debet, quod Deus alium modum agendi habeat in homine, vtpote creatura rationali, et alium modum in aliqua irrationali, in lapide et trunco. (Ibid. p. 673.) Et hoc id ipsum est, quod LUTHERVS vocat *capacitatem*, (b) (non actiuam, sed passiuam) eamque his ver-

(b) Vox *capacitas*, non moralem aliquam dignitatem, quae mereatur; non facultatem, nec vim animi ingeniuue ad aliquid efficiendum, significat; sed eo sensu accipitur, quo vas aliquod materiae recipiendae *capax* esse dicitur. Quamuis etiam haec loquutio debito modo accipienda sit. Eodem sensu venit vox *dignitatis*, dum Apol. p. 133. dicitur: *Fides facit discrimen inter dignos et indignos misericordia diuina*. Ibi, per *dignitatem*, intelligitur dispositio quaedam, et praeparatio in animo, per fidem effecta, quae

locum facit misericordiae diuinae, vt animo applicari possit; non *meritum*, cui misericordia vel ex congruo vel ex condigno debeat. Quum vero libinde difficile sit, in re plana loquutiones satis commodas inuenire, quibus cogitata animi et veritates non solum distincte intelligantur, sed etiam caute aliis proponantur, ne quis cauillandi ansam ex phrasi minus commoda arripiat: id, si nullo alio, ex hoc *de libero arbitrio* certe loco, potest intelligi. Ibi inter Pontificiorum et Scholasticorum spinas, (qui libero arbitrio

"bis declarat: Quando Patres liberum arbitrium defen-  
dunt, capacitatem libertatis eius praedicant, quod scilicet  
"cer veri potest ad bonum per gratiam Dei." (*Ibid.* p. 662.)

Media  
Conuer-  
sionis.

III Conuerſionem hominis operatur Spiritus Sanctus,  
non sine medijs: sed vti solet ad eam efficiendam verbo  
Dei. praedicatione, auscultatione. (*Epit. Art. II. p. 579.*)  
Quod generatim de omni conuerſione dictum, id etiam  
de miraculosa et instantanea illa, vti vocant, debet  
intelligi. In hac enim, miraculum, non in locum verbi  
diuini substituitur, sed cum eo coniungitur, et noua autem  
verbi praedicandi ratio, ad singularem personam ac-  
commodata, adhibetur. Paulus, in itinere Damasceno, vo-  
ce, *Ego sum Iesus, quem persequeris*; conuersus est. Mira-  
culum illud in modo, quo Verbum hoc annunciabatur,  
singulari et extraordinario, consistebat. In libris Sym-  
bolicis notandae sunt hae formulae, quae verbis discre-  
pant, re conueniunt: "Verbum Dei, vnicum illud *myste-  
rium* est, quod nos Christiani scimus et habemus: vni-  
cum *sacrum*: gaza pretiosissima, quae omnia *sanctificat*.  
"Illud *verbum*, *principium* est ingrediendi in communio-  
nem sanctorum: Spiritus Sanctus *adest* verbo; *inest* ver-  
bo. Verbum est *organon*, *instrumentum*, seu *mediam*: est  
*ordinarium* seu *legitimum* medium Conuerſionis. Idem  
verbum, cui diuina vis ad immutandos hominum ani-  
mos tribuitur, vt a verbo *hypostatice*; vt a *reali* illo,  
nempe Sacramentis, et vt quam maxime a verbo illo *in-  
terno* et *immediato*, quod Fanatici, derogandi verbi diui-  
ni causa, effinxerant, distinguatur; verbum *uocale*, *prae-  
cedens*, *externum*, *mere externum* appellatur. (*Art. Smal. p.*  
337.)

bitrio nimium tribuunt,) et  
inter Fanaticorum somnia,  
(qui hominem natura sua pe-  
nitentis exuunt,) media incenden-

dum est via, ne in alterutrum  
inclinantes, vel Fanatici, vel Pe-  
lagiani videamur.

331.) Ne quis vero existimet, verbum Dei, in conuertendis hominum animis, virtute agere et potentia absoluta, physica, mechanica, eaque irresistibili, per contactum aliquem physicum; vimque diuinam Sacrae Scripturae non et in litteris signisque vocum, et in *formali*, sensu diuino, ac veritatibus caelestibus contineri: huic quidem errori occurrerunt Confessores. Statuunt: "Praedicatio verbi Dei et eiusdem *auscultatio* sunt Spiritus Sancti instrumenta, (c) cum quibus, et per quae efficaci-

(c) Videntur primo intuitu sibi repugnare hae formulae: *Spiritus Sanctus donat, efficit, operatur, fidem*; et *Spiritus Sanctus fide accipitur, donatur, retinetur*. Sed distinguendum est inter Spiritus Sancti *personam*, eiusque *operationes*. Item, ab *operationibus* eius, *dona* ipsius discernenda sunt. Praeterea Spiritus Sanctus, vt persona, vel in relatione interna ad Patrem et Filium, vel in oeconomia gratiae externa consideratur. Illic, iustificare, (p. 686.) hic vero, solis vocatis, extra Ecclesiam autem nullis, adesse dicitur. (LVTH. *Cat. mai. p. 497.*) Quod ad operationes atinet Spiritus Sancti, eae extra Ecclesiam; et in eadem, variae esse possunt. Immo in Ecclesia ipsa, partim plantanda, partim augenda et conseruanda, pro diuersitate *mediorum*, (Legis vel Euangelii), *obiectorum*, (in fide praeparanda, excitanda, nutrienda, probanda, au-

genda, restauranda; in vocatione vel *directa* vel *indirecta*; in facultatibus animae vel *superioribus* vel *inferioribus*;) *aciatis*, *ingeniorum*, *temporum*, aliorumque adiutorum, numero et gradu, variae sunt. Bona etiam Spiritus Sancti, vel ordinaria, vel extraordinaria sunt. Sunt vel vniue spiritualia, vel mixta. Spiritus Sanctus, facultates ac vires animae, ad opus sanctificationis promouendum, idoneas reddit. Differunt etiam modo. Alio certe modo Christus, secundum humanam naturam, dona Spiritus Sancti obtinet, quam quidem fideles. Pater super hunc Filium absque mensura Spiritum sapientiae et fortitudinis ita effudit, vt, quatenus homo est, per hypostaticam illam vniouem, omnem scientiam et omnem potestatem reuera acceperit." (Sol. *Doct. Ars. VIII. p. 782.*)



## VIII

"ter agere, et homines ad Deum conuertere vult.  
 "Per hoc medium, *praedicationem* nimirum et *auditio-*  
 "nem, Deus operatur. (*Sol. Decl. p. 670.*) Per verbum  
 "annunciatum, *auditione perceptum, et memoriae commen-*  
 "datum in nobis efficax esse vult. (*Ibid. p. 802.*) Haec  
 non eo dicuntur sensu, ac si lectione et meditatione ali-  
 quid virium nouarum, quae antea non adfuisent, verbo  
 diuino accedat, aut in eo ornando humana aliquid  
 sollertia efficiat; quale quidem in eiusmodi scriptis vsu  
 venit, quae ab ingenii industria profiscuntur, vt quae  
 non minorem legentis, quam scribentis, dexteritate de-  
 siderant. Sed ipsa illa, quae in verbo diuino inest, infi-  
 nita virtus, ita comparata est, vt, quia ad immutandum  
 animos, ratione praeditos, adhibetur, vim suam demon-  
 stre ita, vt animo hominis non repugnet. Quamuis  
 nulla, ne quidem doctissimi hominis, solida multorum  
 annorum meditatio id assequatur, vt mysteria, quae sum-  
 mam Christianae religionis constituunt, quoad modum,  
 euidenter cognoscat, euidentia tamen testimonii audi-  
 tione ac lectione inchoatur, augetur meditatione, vt quae  
 omnia accuratius perpendit, et indefesso studio in literas  
 sacras inquirat.

Poeniten-  
tia.

Id quod a Spiritu Sancto, in Conuerfione ac Rege-  
 natione, per verbum diuinum, Legem et Euangelium,  
 in animo efficitur, *Poenitentia* vocatur. (d) "Constat  
 "Poeni-

(d) Saepe *pars* esse dicitur, quod  
 ad rem, vt *caussa* quaedam, vel  
 vt *medium*, vel *effectus* potest  
 referri. Ex quo more loquen-  
 di, *bona opera*, item *remissio*  
 peccatorum, *partes poeniten-*  
*tiae* appellantur. Confer. *Apol.*  
*p. 165. et 173.* Omne malum

sensus, (*passionis* malum vo-  
 cant,) quod sequitur malum  
*actionis*, siue peccatum; aliquo  
 modo *poena* potest appellari.  
 Hoc sensu *terrores* illi, quos in  
 contritione animus experitur,  
*poenarum* et *vindictae* nomi-  
 ne veniunt in *Apol. Art. VI, p.*  
*423.*

"Poenitentia proprie his duabus partibus: altera est *con-*  
*tritio*, seu terrores incussi conscientiae, agnito peccato;  
 altera est *fides*, quae concipitur Euangelio, seu absolu-  
 tione. (*Aug. Conf. Art. XI. p. 12.*) Haec non est *acti-*  
*ua* contritio, (qua quis se ipsum excitat ad serium de-  
 peccatis admisis dolorem,) seu factitia et arcessita, sed  
*passiva* contritio, quam Deus in animum hominis in-  
 fligit, conscientiae cruciatus, vera cordis passio, et sen-  
 sus mortis." (*Art. Smal. p. 320.*) Confessores, si de  
 Fide quae iustificat, et de Contritione quam fides comi-  
 tatur, loquuntur, semper fidem in prima sui origine,  
 et relatione ad opus conversionis; contritionem autem,  
 ut ea in *actu* ponitur, considerant. hisque duobus, Con-  
 tritione ac Fide, *poenitentiam* illam, quam vocant, *ma-*  
*gnam*, quatenus ea a stantium poenitentia quotidiana  
 distinguitur, absolui existimant. Quam autem omnis  
 ratio iustificationis ex fide petenda sit, ad intelligendum  
 Conversionis atque Iustificationis nexum, non parum  
 lucis lucrabimur, si, quo modo fides nascatur in homine  
 serio dolente, curatius considerabimus. Quarum rerum  
 una ita sequitur alteram, ut nisi illa praecedat, huic lo-  
 cus non detur, haec ex illa oriri dicitur, quamvis illa  
 nullam huius efficiendae rationem in se contineat. Ita  
 fides ex contritione, seu potius in contritione gignitur.  
 Fides sine Contritione nulla oritur; debet enim conso-  
 lari *aegram* mentem, mentem de peccatis suis ac de gratia  
 diuina sollicitam. Quam in se ipsum homo redit, et ma-  
 lesactorum multitudinem suorum ac deformitatem, lege  
 diuina collustratus, intuetur, sacro horrore perfunditur, et  
 requi-

193. Ibi enim tota contritio  
 vocatur poena. Quam vero  
 ibidem p. 112. dicitur: "Redi-  
 cuntur peccata per poeni-  
 tentiam; id est, obligatio seu

"reatus tollitur": id non de  
 poenitentia absolute; sed se-  
 cundum quid, quatenus si-  
 dem iustificantem complecti-  
 tur, intelligendum est.

B

requirit aliquid, quod irae diuinæ opponat. Ita fides sequitur contritionem. Sed non ex illa, tanquam ex causa efficiente, oritur, quemadmodum ex tristitia, tanquam causa, gaudium oriri, nemo, qui caussarum rationes cognitas habet, dixerit. Contritio et Fides suas quaeque habent causas, a se inuicem valde seiunctas. Contritio ex Lege oritur, eaque sola. Quamquam enim, et de *Euangelio*, dixerit MELANCHTHON *Apol. Art. II. p. 17.* "quod arguat omnes homines, quod omnes sint sub peccato, quod omnes sint rei aeternae irae et mortis. Quamquam concio de passione et morte Christi, quum seueritatis et terroris plena sit, et iram Dei aduersus peccata ostendat, ea ratione ad legem possit referri. (*Epit. Art. p. 593.*)": tamen de his et similibus loquutionibus, quo sensu accipiendae sint, eodem loco monemur. (*p. 594.*) Et diligenter cauendum est, ne haec duo doctrinarum genera, Lex nimirum et *Euangelium*, inter se commisceantur, aut *Euangelium* in Legem transformetur. Contritio igitur ex Lege; Fides vero nascitur ex *Euangelio*. *Euangelium* enim, credendum esse, docet; nos obligatos esse ad credendum, ostendit; vt vere credamus, vires dat, quibus ad meritum Christi firma fiducia apprehendendum permouemur. Haec fides in libris Symbolicis *fides specialis* appellatur. (*p. 112.*) non quoad principium, medium, obiectum, non quoad subiectum in quo insit, nec quoad gradus, vel effectus; sed ratione tum *actus* in quo versatur, tum *objecti realis*, quod meritum Christi fiducia animi summa amplectendum est. Supponit fides, articulorum veritatis Christianae, si non omnium, certe eorum, qui directe ad salutem referuntur, cognitionem eiusmodi, quae ad assensum et fiduciam excitandam requiritur. De omni veritatis *Euangelicae* nexu nihil temere in dubium vocat, nihil negat, nec despicit. Sed quoniam in eo versatur iam, vt irae diuinæ opponat aliquid,

et



et animum de peccatis anxium erigat, id quod praecipue ex merito Christi petendum est: ad hoc, tanquam ad sacram confugit ancoram, in eoque acquiescit. Quod dum agit, re ipsa veritatem Euangelii integram praeclare confitetur. Est enim doctrina de merito Christi, ut quae diuinitatem aequae ac humanitatem, nec non obedientiam Christi, actiuam, passiuam, complectitur, non solum veritatum Euangelicarum caput, sed breuis etiam summa, et compendium. Promissionem de remittendis ob meritum Christi peccatis, ex mente Dei vniuersalem, fides, tanquam et ad se pertinentem, amplectitur, sibi que applicat: quam ob rem etiam *fides Absolutionis* vocatur. (*Aug. Conf. p. 2. Art. IV. p. 27.*)

## VI

De Regeneratione strictius dicta, quae in infantibus *Regeneratio* fit, nonnulla addenda sunt. "Citra fidem nihil prodest." Baptismus, (nimirum *in applicatione*, siue *actu secundo*, ut theologi loquuntur), tametsi per se (actu primo, et diuina ex institutione) caelestis et inestimabilis thesaurus sit. "In nobis nihil aliud facit aut operatur salutem, quam fides. Atqui hoc caecorum duces videre nolunt, fidem necessario aliquid habere, quod credat, hoc est, cui innitatur, et qua re suffulta persistat. Ita iam fides aquae adhaeret. - - Sola fides *personam dignam* facit, ut hanc salutarem et diuinam aquam vtiliter suscipiat." (*LUTH. Cat. mai. p. 540.*) Quae quum certa sint, si quidem Baptismo, etiam in infantibus, sua constat vtilitas, fieri non poterat aliter, quin et illis non fidei tantum recipiendae remota quaedam ac mere passiuam capacitatem, aut fidei quasi quaedam significatio, sed ipsa fides, vere tribueretur. "Quamquam pueri non crederent, quod nullo modo affirmandum est." (*p. 546.*) Et paucis interiectis: "Puerum Ecclesiae ministro baptizandum apportamus, hac spe atque animo, quod certo credat, et precamur

"vt Deus eum fide donet. Verum, propterea non baptizamus." id est; hac sola ex causa, ac primario. Praecipua enim causa in iustione diuina ac promissione ponitur, cui simpliciter obediendum, neque ratio praecepti curiose examinanda est.

CAPVT II  
DE IUSTIFICATIONE

## VII

Notio  
Iustificati-  
onis.

Articulo quarto Augustanae Confessionis, forma Iustificationis, in remissione peccatorum receptioneque in gratiam diuinam ponitur. In Apologia vero, ad declarandam eandem rem, phrasid adhibetur alia. Nam p. 109. dicitur: *Sola fide iustificamur. Id est, ex iniusto iusti efficiamur, seu regeneramur.* Et p. 82: *Sola fide iustificamur. intelligitur iustificatio, ex iniusto iustum effici, seu regenerari.* Verum quidem est, etiam hanc phrasin, *ex iniusto iustum fieri*, explicari ita posse, vt cum veritate Evangelica, et cum mente Confessorum conueniat. *Iustum* enim dicimus, non solum eum, qui habitu, suum cuique tribuendi, virtuteque ornatus est, quam *inhaesiuam iustitiam* appellant; sed etiam eum, qui opinionione hominum habetur pro iusto, donec re et opere contrarium proberetur. Bonum et honestum vocamus virum, non solum eum, cuius omnia cogitata, dicta, facta, cum morali honestate conueniunt, sed et eum in primis, cuius nullum exstat in ore hominum insigne dedecus, quo existimationem (quam vocant, *simplicem*) amiserit. Vt tamen omnis euitaretur ambiguitas, et *habitus ille infusus iustitiae inhaesiuae*, qua sibi Pontifici placere tantopere, ex doctrina de iustificatione excluderetur; phrasid, *ex iniusto iustum fieri*, emendata fuit p. 109. Ibi iusti-

iustificatio ita explicatur: *Factores legis iustificantur, id est, iusti pronunciantur.* Conferatur de eo *Sol. Decl. Art. III. p. 685.*

## VIII

Primaria illa veritas, *sola nos fide iustificari*, varus *Fides iustificans.* modis in libris Symbolicis enunciat. Dicitur: "Fides iustificat: consequitur remissionem peccatorum: patres *promissionem* (e) fidei accipiebant: iustificatio fide accipitur: ipsa fide propter Christum iustificamur: fides est iustitia nostra imputatiue: fiducia nominis Christi nos saluat: fides nos reconciliat et iustificat: iustificatio ad fidem pertinet: fides liberat per sanguinem Christi: est instrumentum, organon seu medium, quo accipimus iustificationem." Exstant phrasae aliae plurimae, quibus enumerandis non immorabimur. In hac veritate afferenda, praecipua vis atque auctoritas est Scripturae Sacrae. Huius in ea re testimonia duplicem habent vim, *docendi* nimirum atque *praecipendi*. Si ex arte loquar, fidem nobis iniungunt, sub ratione tum *medii*, tum *mandati*. Medicus aegroto dat medicinam, ut *medium*, quo aeger pristinae valetudini restituitur. At si ad medici suadentis consilium auctoritas accedit patris, filio iubentis ut medicina utatur, eadem res etiam nomine *mandati* iniungitur. Sacrae literae, ex oeconomia ipsa diuina, aeternoque sacrosanctae Trinitatis consilio de redemptione generis humani, praeterea ex foedere operum violato, ex redemptoris *Dei* notione, clarissime ostendit, quod, quum Deo alia nulla restituendi generis

B 3 hu-

(e) Phrasis, *promissionem accipere*, non indicat, *impetrare* *promissionem*; non, *facere*, ut *deur promissio*; sed, *oblatam recipere*, veram credere, eamque ut ad nos pertinentem,

nobis applicare. Per *promissionem* autem, non solum *boni* demum venturi, sed cuiusque etiam praesentis, et gratiae, gratuito oblatae, annuntiatio intelligitur.

humani via, praeter eam quae per Filium patet, placuerit, ex parte etiam hominum nihil inueniri possit, quo illi cum Deo in gratiam redeant, praeter fidem, qua medium, quod Deus exhibet, amplectantur. Quum vero redemptor noster sit Deus, de Deo autem non vt nobis videtur, sed vt ipse se manifestauit, sentiendum fit: fides in Christum constituit partem illius cultus, quem eidem vt Deo debemus. Quare et iis, qui fidem in Christum non admittunt; iis, qui impietate perseverant, ac pereant; iis, inquam, et ipsis credendum nihilominus erit, Iesum fuisse Christum, qui pro ipsorum peccatis iustitiae diuinae satisfecerit. In ipso iustificationis negotio, fides duo quasi distincte ratiocinatur. *Primo*, ita: Qui remissionem peccatorum a Deo impetrare vult, ei in Christum, qui vnus pro peccatis omnibus iustitiae diuinae satisfecit, credendum est. Atqui ego, vt remittantur mihi peccata, opto. Ergo mihi incumbit, vt in Christum credam. *Secundo*, fides ita cogitat: Quicumque in Christum vere credit, ei sunt vere et omnino remissa peccata. Atqui ego in Christum vere credo. Quare etiam mihi vere et omnino remissa peccata sunt. In *priore* ratiocinio, quod tanquam causa remissionis impulsiva ponitur, id in *posteriore*, (*applicante*,) credendum est. Credendum est, inquam, Deum non solum generatim, ob eam, quam credimus, rationem, posse et velle peccata remittere, sed actu etiam mihi remisisse. Historiae est ac testimonii negotium, credere, Iesum, Dei filium et Mariae, assumta carne humana, iustitiae diuinae satisfecisse. Porro: Deum vnicuique propter Filii huius sui meritum velle peccata remittere, res et ipsa est testimonii. Historiae autem, et testimonia, (*res facti* vocant) non aliter obuersantur intellectui, quam vt vel verae vel falsae esse credantur. Atque hoc ipsum est, quod in libris Symbolicis vrgetur, *fidem et promissionem, deinceps promissionem fide accipi*, ad se inui-

inuicem referri. Si notio *remissionis peccatorum & promissionis* consideratur, deuenitur ad probandum meritum Christi, eiusque sufficientiam et vniuersalitatē. Si nos ipsos contemplantur, et omnia quae in nobis sunt, quaeque non, quam tamen deberent, statim intelligimus iustitiam omnem extra nos quaerendam esse, et ita quidem, vt habeamus quo firmiter nostra nitatur spes, vt, Deum non solum posse, non solum velle peccata remittere, sed quadam quasi necessitate ad condonandum peccata teneri, appareat. Quod quid aliud est, praeter meritum Christi infinitum? Eo stabilito, deinceps ad probandam fidei, meritum illud amplectentis, necessitatem descendimus.

## VIII

Fides vocatur in libris Symbolicis donum, opus Spiritus Sancti, opus etiam aliqua ratione nostrum. Fides est *merces seu cultus*, quo ea quae Deus nobis offert, accipimus: Fides est spes, virtus, fons operum bonorum: est principium nouae vitae: obedientia est erga legem: Fides est spiritualis participatio corporis Christi, et spiritualis manducatio: Fides crescit, augetur, confirmatur: docet Deum cognoscere: efficax est: offert hac retinet Spiritum Sanctum, consolatur, offert Deo, habet comitem caritatem, efficit caritatem. Haec elogia, et plura, Fidei tribuuntur in libris Symbolicis. Neque tribui non possunt, si diuersa fidei, ad Deum et ad hominem, relata consideres. Interea tamen, fides, non, quatenus donum aut opus est Spiritus Sancti; non, quatenus est vel cultus, vel virtus, vel spes, aut fons bonorum operum; non fides, quatenus legi obedit, aut carnem Christi edit spiritualiter; non fides, quatenus consolatur, aut efficit caritatem; sed vnice ob eam causam iustificat, quia promissioni diuinae assentitur, et meritum Christi cum fiducia amplectitur. Iustificat fides, vt mediam

Quo modo  
fides iustificat?

dium, ac instrumentum; non tamen vt instrumentum, quod meretur et efficit remissionem peccatorum; sed vt eiusmodi, quod gratiam diuinam in Christo recipit, et quo promissionem illam vniuersalem, tanquam etiam ad nos pertinentem, nobis applicamus.

Quaedam  
adiuncta  
Iustificati-  
onis.

Non erit ab hoc argumento alienum, quaedam alia enuntiata annotasse, quibus, illustrandae huius doctrinae causa, libri Symbolici vtuntur.

"Iustificatio non est vnus certi operis approbatio, sed totius personae." (Apol. Art. III. p. 182.) In foro humano, iustificatio ab opere incipit, progreditur ad personam, idque duabus potissimum causis. Aut enim iudex, cognita causa, actionem, propter quam reus delatus fuerat, aut a reo non commissam fuisse, aut ita comparatam esse, videt et declarat, vt poenam a lege constitutam non mereatur: Aut iudex, non potestate quidem iudiciali, sed iure maiestatico vsus, actionem per se turpem poena promerita liberat. Priore modo, ex sententia iudicis, actio proprie non iustificatur, sed iustitia quae antea iam inerat actioni, per iudicem eruitur, et publice declaratur. Posteriore modo, iustificatio tantum politica est; qua non internis reatus, sed tantum consequela externa tollitur. Vtrinque autem, directe et immediate, *opus* vel *actio*; mediate autem et indirecte, *persona* ad quam *actio* pertinet, iustificatur. Ad longe aliter fit in iudicio diuino. In eo, *persona* primum, deinde etiam mediate *opera* personae huius, non quatenus *haec* vel *illa opera* sunt, sed quatenus *huius* vel *illius personae iustificatae* sunt, adeoque non propter internam bonitatem ac convenientiam cum lege, non propter iustitiam internam, sed propter agentis iustitiam externam, iustificantur. Totus homo, tum *quoad personam*, tum

"quoad opera sua, iustus et sanctus est, ex mera gratia et misericordia, in Christo super nos effusa, expansa et amplificata." *Art. Smal. p. 336.*

II. "Remissio peccatorum similis et aequalis est omnium." (*Apol. Art. III. p. 96.*) Nempe remissio peccatorum non admittit gradus, ut alter altero plus minusve iustificetur, aut ut idem homo vno tempore magis iustificatus sit altero. In foro quidem humano, quemadmodum actiones differunt, ita etiam differre potest iustificatio, illiusque effectus. Fieri potest, ut idem homo, respectu vnus actionis, iustificari, condemnari vero possit respectu alius. Interdum poenae non tolluntur, sed earum immissio suspenditur. Interdum grauior poena in mitiorem commutatur. Nonnunquam multitudinis crimen paucorum sanguine expiatur. At Christus pro omnibus ex aequo mortuus, ex aequo omnibus offertur. Christi meritum, fides omnis, quae quidem vera est, ex aequo amplectitur. Quemadmodum qui extra gratiam Dei sunt, omnes ex aequo condemnantur, non ob hunc vel illum peccatorum numerum, sed ob quoduis peccatum, praecipue quia non crediderunt in eum, qui ipsorum peccata expiauit: ita ii qui per Christum cum Deo in gratiam redeunt, omnes ex aequo per fidem iustificantur. Etiam iura illa, quae ex iustificatione fluunt, et cum illa coniuncta sunt, omnibus iustificatis ex aequo competunt. Pax cum Deo, ius adoptionis, desponsatio Filii, Spiritus Sancti donatio, vnio mystica cum Deo, vita aeterna. Quamuis negari non possit, dona Spiritus Sancti, honoresque qui iustificatos in vita aeterna manent, gradibus differre. Gradus autem et modi non ad essentiam pertinent. Actiones vero forenses, cuiusmodi est iustificatio, non nisi ex quantitate effectus illius iuris, quem nanciscuntur, (quique in hoc negotio est remissio peccatorum) aestimantur.

III. "Propter quod iustificamur, propter idem etiam saluamur." (Sol. Decl. Art. III. p. 69.) Sensus verborum hic est: Propter quam rationem Deus nobis in tempore peccata remittit, ob eandem etiam nobis vitam aeternam donat. Res in se plana, a MELANCHTHONÉ mutatis verbis ita enunciatúr *Apol. p. 157.* "Sicut iustificatio ad fidem pertinet, ita pertinet ad fidem vita aeterna." Sensus hic est: Quemadmodam indissoluendo nexu inter se cohaerent fides et remissio peccatorum, ut fidem non sequi non possit, ex parte Dei, remissio peccatorum: ita etiam cum remissione peccatorum ius vitae aeternae ita coniungitur, ut separari ab illa nequeat, vel alia causa meritoria indigeat. Interea tamen id genus loquendi non nimis est extendendum. *Iustificatio* enim ad fidem pertinet, ut mutatio externae relationis ad Deum, quae cum interna hominis mutatione comparatur. *Vita vero aeterna* ad fidem pertinet, ut mutatio status, tum interni tum externi, hominis ad se ipsum. *Fides* non est pars iustificationis, quum tamen sit pars vitae aeternae, et initium. Nec fides et remissio peccatorum actiones sunt homogeneae. *Fides*, in homine; *iustificatio*, in Deo finitur. At vita aeterna et fides utique in homine coeant.

CAPVT III  
DE NEXV CONVERSIONIS ET  
IUSTIFICATIONIS

*Nexus*  
*Conuer-*  
*sis et Iu-*  
*stificatio-*

*Nexus conuerſionis et iustificationis*, vel extra hominem, vel in homine est. Videamus iam de priori, quam logici *obiectiuum* nexum vocant. Extra hominem, et in iudicio diuino, conuerſio hominis, et remissio peccatorum



rum non ita cohaerent inter se, quemadmodum plures <sup>nis obie-</sup> solent effectus, qui communi nituntur causa. <sup>ctius.</sup> Quam enim conuersio hominis opus Dei est, infinitaque Dei misericordia nititur; quanquam etiam iustificatio, ob causam meritoriam, Christum, et ob meriti imputationem illius, causam repetit ex infinito amore Dei: tamen, accurate loquendo, iustificatio, Dei *iudicantis*, non *miserentis*, est actus. Eadem sanctitas Dei, eadem iustitia, quae peccatorem sine Christo non poterat non odifere; eundem, postquam is meritum Christi amplexus est fide, non potest non pro iusto et innocente declarare. Misericordia, amor ille erga miseros, considerat peccatorem; *ut pens* est; quaerit, parat, offert consilium, quo saluetur. Id ubi sequitur miser, tum haut recedit misericordia, quin accedit ad misericordiam iustitia, hominemque tum ut miserum, tum ut credentem, illa, propter infinitum amorem, haec propter iustitiam, ab interitu vindicant. In hominum iudicio non ita coniungi possunt misericordia atque iustitia, ut non altera alterius exercitium impediatur. Dani enim, rigore legis, reum supplicio dandam, iudex, pro potestate qua pollet, pronuntiat; fieri non potest, ut eadem lege, eadem potestate, reum eundem; miserum istum quidem, sed nocentem, merita poena liberet. Quod si facit tamen, non iudicis, sed imperantis personam summi sustinet, cui, per imperium ciuitatis, licet poenis exsoluere. Et hoc ipsum ius, (*ius aggratiandi* vocant,) tum dictamine legis naturae, tum legibus, cuique ciuitati propriis, publicis, varie constituitur. Enim vero, attributa Dei, quae ex notione *spiritus primi et independentis* deducuntur, inter se coniueta sunt; ut nullum excludi possit, nullum *re se* tangi, quamuis mente et cogitatione, et in relatione ad creaturas, illa discerni possint. Excipitur: Remissio peccatorum gratis sit; non misericordia, cuius est donare, proficitur. Sed, quae, autem potest gratis contingere. Quia

Quia Christus *pro nobis*, id est, *loco nostri*, iustitiae divinae satisfecit: et, quia Deus obedientiam Filii, activam, passivam, tanquam nostram se accepturum, non promisit solum, sed spondit. Est autem meriti imputatio infiniti, actus *iustitiae distributivae*. Ceterum, Pontificiorum illud, ex notione *miseritiae* contra certitudinem iustificationis ex fide, argumentum, vna cum MELANCHTHONIS responsione, legitur in *Apol. Art. III. p. 133.*

Quo modo  
Conversio  
et iustificatio non  
cohaerent?  
Nexus negati-  
vus.

XII. Conversio et iustificatio non ita cohaerent, vt tanquam actiones Dei et hominis, vel tanquam actiones Dei in homine atque extra hominem, sibi inuicem omnino parallelae, ab vno aliquo quasi communi actu temporis incipiant, deinceps vero vno itidem tempore progrediantur. Sunt quidem conversioni sua *initia*, suae *gressiones*. Id vero quod ad iustificationem refertur, salutaris fidei acquiescentia in merito Christi, vno momento fit. Momentum seu *punctum* temporis si auditur, negligendum non est, quod a iuridicis ad quaestionem, qui moderamen inculpatae tutelae in *puncto* consistat? monetur; nempe punctum, vt in physicis, sic in moralibus, sine aliqua latitudine non esse. Fides e verbo concipitur, ac supponit credendorum notitiam. Attamen fides illa *specialis*, quae impetrat remissionem peccatorum, impetratamque sibi applicat, omnem quidem de Christo eiusque Euangelio doctrinam, vt solatii plenam, amplectitur: sed anxia adhuc tamen ad meritum Christi confugit, quod, tanquam Euangelii totius quoddam quasi compendium, vera animi fiducia amplectitur. Haec autem fiducia, non vt habitus quidam, crebris actibus acquisitus, non vt virtus aliqua animo inhaerens, sed vt singularis quaedam *actio* considerari debet, qua se fides ad meritum Christi amplectendum inclinat. Quum igitur conversio vno momento fiat, et qui conuertitur, non partem

partem meriti Christi, sed omne meritum, omnem eius obedientiam, vno ac simplici iudicio ad se trahat, facile intelligitur, totum meritum Christi vno ac simplici decreto peccatori credenti imputari, eumque vno decreto a peccatis absolui, et pro iusto declarari. Idem etiam ex *imputationis* notione intelligitur. Peccata enim generis humani, et, cum peccatis, poenae, Christo ita imputatae fuerunt, vt totus *Genus humanum* in locum totius generis humani subrogaretur. Quapropter si homo iustificatur, is, qui meritum Saluatoris vera fide amplectitur, in iudicio diuino tanquam vna cum Saluatore *persona*, tanquam vnum (vt sic loquar) *suppositum morale* consideratur. Quodsi vero aliquis in locum alterius substituitur, is totus semper, vna cum reliquis suis adiunctis subrogatur.

## XIII

Conuersio hominis et iustificatio eo modo cohaerent inter se, quo, cum *decreto vniuersali*, executio illius et applicatio ad rem *singularem*, coniungitur. Christus ab aeterno fuit causa salutis nostrae, non remota solum, per quam fieri potuisset nostra salus, sed etiam *propior*, ob quam media salutis, a Christo parta, nobis et possint et debeant applicari. Quare etiam Gratia conuertens et regenerans, nec non omnes Spiritus Sancti operationes, omniaque conuersionis media, merito Christi nituntur. Totam doctrinam de proposito, consilio, voluntate, ordinatione Dei (omnia videlicet quae ad nostram redemptionem, vocationem, iustificationem, et salutem pertinent) simul mente complectimur. (Sol. Decl. Art. XI. p. 802.) Quemadmodum vero consilium de redimendo genere humano, atque huius redemptionis modo ac mediis, non aliqua re mutabili, sed aeternis diuini illius *decori* rationibus nititur, de quo Paulus in epistola ad Hebraeos (XI, 10.) loquitur: ita vicissim huius medii (quod perfectum Christi meritum est,) ad singulos homines applicatio,

catio, (quae fit iustificatione,) non singulari aliquo decreto, sed eodem illo aeterno, adeoque aeterna Dei bonitate et iustitia nititur. Quare, dum peccator poenitens iustificatur, non nouum aliquid, *individuale ac particulare*, decretum vel iudicium Dei, cogitandum est. Iustificatio enim, proprie loquendo, non fit; sed quae ab aeterno iam fuerat *uniuersalis*, ex intentione Dei, de omnibus hominibus iustificandis, *sententia*, ea iam ad singularem hunc, vel illum, hominem *applicatur*. Quum vero Deus, voluntate antecedente, *uniuersali*, *seria*, omnes quidem omnino homines ad salutem vocandos constituerit, non *absoluta aliqua potentia*, sed per *media*, quae et eum *sanctitate Dei*, et cum indole animi humani conueniant: facile intelligitur, voluntatem Dei *uniuersalem a natura* et indole obiectorum constitui, et ex *uniuersali* fieri *particularem*, conditionemque inuoluere. Eodem etiam modo decretum Dei *uniuersale*, de gratia sua, hominibus *actu* conferenda, supponit *subiecta*, gratiae recipiendae non *incapacia*, *Capacitatem*, non *actiuam*, sed *passiuam*, in fide ponimus. Fides enim quaerit gratiam, oblatam suscipit, et suam facit. Executio speculum est intentionis. Quare si quis fidem habet quam gratia Dei operatur, quam Deus non possit sibi ipse repugnare, is certo cognoscit, Deum, ut qui fidem, tanquam medium, voluit, et ad eam excitandam gratiae auxiliis suae adfuit, simul etiam finem, iustificationem, voluisse. Conuersio itaque et Regeneratio hominis, conditio sunt, sub qua decreto Dei *uniuersali* datur locus in hoc vel illo *subiecto*. Haec si adsunt, adest simul iustificatio. Neque, qui in Christum credunt, hi sine causa *ab aeterno iustificati esse* dicuntur. Egregie praedestinationis doctrina articulum iustificationis confirmat, quod scilicet gratia, sine omnibus operibus et meritis nostris, ex mera gratia, propter solam Christum iustificemur atque saluemur. Ita grauius enunniat *Sol. Decho. Art. XI. p. 809.*

Multa de conuersionis cum iustificatione nexu *obiectiua* *Continua*  
*Etio*; multa de iustificationis certitudine *obiectiua*, dici  
 possunt, quae non cadunt eodem modo in nexum *subie-*  
*ctiuam*; quo nimirum, in *animo* hominis, cum fide, quae  
 remissionem peccatorum impetrauit, certitudo, ac *sensus*  
 remissionis, et hinc nascens acquiescentia animi, coniun-  
 gitur. Nempe, certitudo iustificationis *obiectiua*, nititur  
 sanctitate, iustitia, veracitate Dei, et pretio meriti Chri-  
 sti infinito. *Subiectiua* autem illa, nititur testimonio Spi-  
 ritus Sancti, qui animum de impetrata per Christum gra-  
 tia certiore reddit. Duo sunt quasi actus fidei, quae  
 iustificat. Alter, solo in Christi merito, salutis suae spem  
 cunctam statuit ponendam esse. Alter autem certo cre-  
 dit, se propter meritum Christi remissionem peccatorum  
 iam impetrasse. In hoc quidem quasi ratiocinio, propo-  
 sitio assumptioque semper constant, quia illis natura fidei  
 absoluitur. At quae deducitur inde conclusio, ea non  
 semper omnem, quam vel poterat, vel debebat, ad eri-  
 gendum animum vim habet. "Euangelium adfert *conso-*  
*lationem*." (*Art. Smal. p. 321.*) "Fides illa, quae ex Eu-  
 "angelio concipitur, in paucis erigit et consolatur,  
 "nec *iustificat* solum, sed etiam *uiuificat*." (*Apol. Art. II.*  
*p. 71.*) In his ac similibus locis librorum Symbolicorum,  
 cum impetrata remissione peccatorum, coniungitur im-  
 mediate, tanquam fructus aut signum illius, *consolatio*  
 animi erectioque. Ergone (ais) de remissione peccato-  
 rum certus esse non potero, nisi vitam istam nouam et  
 spiritualem, nisi gradum consolationis extantiorum fer-  
 tiam? et dum haec absunt, dum Spiritus Sanctus, illud  
 sigillum adoptionis, oleo laetitiae tanto non perfudit ani-  
 mam tristem, num dubitare licebit, verane sit fides, ve-  
 rene in iudicio diuino absolutus sim? Hoc vero id non  
 est, quod per vocem *consolatio* intelligunt libri Symbo-  
 lici. Considerant illi fidem, ob peccata anxie simul col-  
 luctam.

luctantem cum ira Dei, et quaerentem, quid irato Numini, quo iustitiae eius fiat satis, opponat. Posteaquam merito Christi soli hanc gloriam tribuit, idque ut suum amplectitur, eo ipso veram (*realem et propriam*) consolationem, ipsam *materiam* ut sic loquar, ipsam rem quae consolatur, nanciscitur. Salutis initium est, *non perire*; primus consolationis gradus est, *non desperare*. Quodsi enim in illo angore quem animus in contritione sentit, nihil obuertitur menti, quo remissionem peccatorum impetret, non potest non fieri, quin dolores illi, quos peccatorum deformitas et formido poenarum excitat, ad desperationem ducant. Spiritus Sanctus datur iustificatis, ut sigillum adoptionis. At quia etiam fides est opus Spiritus Sancti, ipse per eandem fidem hanc, eiusque minimum adeo gradum, de sui praesentia testatur. "Fides liberat per sanguinem Christi." (*Apol. p. 80.*) Sed "liberat *primario atque directe a maledictione legis.* (*Sol. Decl. p. 718.*) Id est, reatum, violatione legis contractum, et poenas, violatoribus destinatas, aufert. Nam, a legis damnatione, distinguendus est sensus huius damnationis minarumque legis internus, qui deest in non dolentibus ob peccata. Ita etiam sensus felicitatis, ex Euangelio oriens, non semper ita obuersatur animo, ut tristitiam ac dolorem omnem, primo statim impetratae remissionis momento, prorsus extinguat. Qui vero in iustificatis restat dolor propter peccata, quanquam ex errore oriatur, tamen non ad Legis minas, sed ad prosperitatem Euangelii referri debet. Nam Spiritus Sanctus eo utitur, velut medio Sanctificationis, in poenitentia quotidiana, ut custodiat et tueatur animos contra peccatum. *Indirecte* vero ac *mediate*, sanguis Christi etiam liberat a terroribus, ex contritione residuis. Sunt etiam alia quaedam testimonia praesentis Spiritus Sancti, *interna* atque *domestica*, quae non facile ad conuincendum alios adhibentur. Eo pertinent, quae LUTHERVS de se ipso ait:

"Sunt

"Sunt hodie non parum multi, quos certis iudiciis animadvertimus Spiritum Sanctum habere, cum doctrinae eorum, tum etiam vitae nomine: sicut et nobis gratia Dei concessum est, nosse, scripturas interpretari, et Christum cognoscere, quod citra Spiritum Sanctum nullo modo fieri posse, nemo dubitat." (*Cat. Mai. p. 544.*)

## CAPVT IIII

DE NEXV IUSTIFICATIONIS ET  
SANCTIFICATIONIS

## XV

Multa forsitan haut inutiliter dici poterant de varia vocis *sanctificatio* in libris Symbolicis significatione, sed *Christus* fines dissertationis non egrediendi. *perpetuus* Voci eam constanter vim tribuemus, *mediator* vt hominis conuersi, et iustificati *Quomo-* continuata ad imaginem diuinam restauratio intelligatur. *do?* Causa iustificationis meritoria, meritum Christi mediatoris infinitum, est. "At Christus, per quem remissionem peccatorum in iustificatione impetrauimus, manet *perpetuo* mediator. Errant, qui fingunt, eum tantum *primam* gratiam meritum esse, nos *postea* placere nostra legis impletione, et mereri vitam aeternam. *Manet mediator* Christus, et semper statuere debemus, quod propter *Christus* ipsum habeamus placatum Deum." (*Apol. p. 90.*) Eodem loco, iustificatio, non solum initium renouationis, sed etiam reconciliatio, qua postea Deo accepti sumus, dicitur. Quare videndum erit, quo pacto Christus, vnus eiusdemque hominis, iam iustificati, mediator perpetuus sit, vt appareat vel sic, quomodo sanctificatio cum iustificatione cohaereat. *Inrenno* operantis non distinguuntur genera meritorum." (*Apol. p. 128.*) Vltima causa, quare meri-

meritum Christi infinitum sit, in infinitis quidem rebus illis, (*actibus*), quibus obedientia Christi, actiua, passiuā, absoluebatur, maxime autem in *dignitate personae* quaerenda est, ex qua, tum vniciuique illorum *actuum*, tum omnibus simul sumtis, infinitum pretium accessit. Quare etiam huius meriti imputatio non potest esse *successiua*, sed quae exinde nascitur iustitia fidei, hominem iustum reddens, ipso iustificationis momento, perfecta, et absoluta est, et omnia illa iura, cum iustificatione coniuncta, homini iustificato tradit. Haec iura ita comparata sunt, vt ab hoc momento iustificationis incipiant, et se per omnem hominis iustificati extendant vitam. Remissio peccatorum geminam habet vim, intuitu tum praeteriti, tum futuri. Quoad quidem *praeteritum*; nulla inde culpa, poena nulla prodit, et quae facta fuerant, *moraliter infecta* redduntur. Quoad *futurum* autem; homo semel iustificatus, pro eiusmodi semper in iudicio diuino habetur. Durante causa, etiam effectus durat. Quamdiu homo fiduciam ac spem in merito Christi ponit, tamdiu iudicio diuino *moraliter* vt vnus cum Christo consideratur. Neque enim amor solum diuinus eo fertur, vt tantum tribuat boni rei cuique, quantum capit, sed iustitia quoque Dei postulat, vt homini, in Christum credenti, tantum concedat, quantum promissit, quantumque meruit Christus. Quare, dum fides adest quae accipere vult; praesto etiam est gratia quae largitur. Mediator, qualis inter nos est, maxima parte arbitrio litigantium lectus, plus potestatis non habet, quam consensu eorum, inter quos certatur, in ipsum collatum fuit. Huiusmodi officium mediatoris, compositione partium in vna aliqua re absoluitur. At mediator *pretio infinito*, qui tam operam quam *personam* suam interposuit; mediator, *naturae* partis vtriusque compos, qui cum vtraque non *moralis* solum, sed quasi *physica* coniungitur *vnione*; qui, quos reconciliauit, *redemit* etiam, suosque fecit:



cit: eiusmodi, inquam, mediator vnicus, non causae, sed personarum, non temporarius, sed perpetuus censetur esse; officiumque eius non vnus controuersiae compositione absoluitur, sed ad omnem eorum, quos reconciliauit, statum, conditionem, actionem extenditur. Quum etiam homo iustus, ob meritum Christi prebensum, Deo placeat, omnia illius, modo fide nituntur, grata non possunt non Deo esse, vt quae ex viribus Dei ipsius, in conuersione et regeneratione datis, fiant. Sed opera illa bona quia imperfecta sunt adhuc, mediatore opus habent, cuius meritum quod deest supplet. Quae vero in homine iusto, de peccati originalis, adhuc ei inhaerentis, reliquiis emanant, eadem illa venia inuoluuntur, qua in iustificatione ipsum peccatum originale, fomes ceterorum, et reliqua peccata, obrecta fuerunt. Ex libris Symbolicis prodeunt hae formulae: "Neque bene operari possant homines, nisi iustificati, qui aguntur Spiritu Christi: nec sine mediatore Christo et fide placent. (Apol. p. 138.) "Necesse est enim, vt persona Deo antea placeat, idque propter solum Christum, si modo personae illius opera Deo placere, et accepta esse debent." (Sol. Decl. p. 701.)

## XVI

Medium iustificationis, et sanctificationis autem principium, fides est. In fide, tanquam centro, iustificatio, et sanctificatio, iustitia hominis interna et externa, iustitia vitae ac fidei, coniunguntur. Id quod ex formulis intelligitur, quae in libris Symbolicis passim occurrunt. Illi enim ita: "Fides est donum Spiritus Sancti, qui incipit sanctificare. (p. 691.) In remissione peccatorum Spiritus Sanctus donatur, cuius donatio non est otiosa res, (p. 71.) sed efficax in piis. (p. 817.) Spiritus enim Sanctus distribuit remissionem peccatorum. (p. 502.) Idque vario sensu: dum animos praeparat, vt eam accipere possint; dum eam per ministros Euangelii in Ecclesia an-

Quomodo  
cum fide  
cohaere-  
ant iusti-  
ficatio et  
sanctifi-  
catio?

nunciandam curat; dum animum de impetrata remissione peccatorum certiolem facit. Eius praecipuum opus est sanctificatio. (p. 496.) Ad efficiendam sanctificationem, praesens est Spiritus Sanctus in renatis, (p. 590.) in iisque habitat. (ibid.) Fides, Christi meritum in conversione amplectitur, idque in sanctificatione retinet; at Spiritus Sanctus reuelat Christum. (p. 863.) Spiritus Sanctus docet fidem. (p. 816.) Deinde fides et in ipso conuersionis negotio, et postea in sanctificatione, docet Deum cognoscere. (p. 488.) Haec ipsa fides, etiam virtus est, adeoque ad sanctificationem pertinet, quae omnes in se virtutes earumque incrementa complectitur: (p. 553.) opus est bonum: (p. 684.) immo fons bonorum operum. (p. 701.) Spiritus Sanctus arguit de peccato: (p. 702.) in poenitentia usque ad mortem durat. (p. 317.) In poenitentia fides crescit et augetur. (p. 86.) Bona opera, quae in sanctificatione praestantur, non spiritu legis, (p. 566.) sed spontaneo spiritu fiunt. (p. 699.) Eadem fides, quae accipit remissionem peccatorum, liberat etiam non solum a maledictione, sed etiam a coactione legis. (p. 80. et p. 722.) Illi solum, qui reuera renati sunt, habent liberatum arbitrium. (p. 675.) Homo in sanctificatione cooperatur, non naturalibus quidem viribus, sed spiritualibus, non propriis, sed iis quas accepit. (p. 624.) Postquam conuersus est, vult iam ipse etiam bonum: (p. 673.) tamen, quum peccatum semper adsit, (p. 91.) atque in carne haereat, (p. 93.) quum liberum arbitrium etiam post regenerationem Deo repugnet: (p. 660.) facile intelligitur, quod omnia quae ad sanctificationem referuntur, solius Spiritus Sancti, in conuersione donati, dona sint atque operationes. (p. 676.) Illa ipsa fides, (f) per quam

(f) Disputatum fuit, num per opera fides; per fidem, remissio

quam iustificatio impetratur, operibus bonis in sanctificatione conseruatur, augeur, ac retinetur. (p. 705.)

## XVII

Homo dum iustificatur, cum Deo redit in gratiam, De Sa-  
Deus vero gratiam suam, quae ad salutem hominum ac-  
ternam refertur, per sacramenta offert. (Aug. Conf. Art. tit.  
XI.) Neque offert solum, sed etiam confert. "Sunt e-  
niam sacramenta, (g) signa et testimonia, non nostrae  
volun-

so peccatorum, Spiritus San-  
ctus, et reliqua dona, in con-  
uersione et iustificatione im-  
petrata, retineantur. Libri  
Symbolici, pro varia phrascos  
explicatione, affirmant; vel  
negant. Si hoc indicatur:  
num opera bona, quae ex fi-  
de fluunt, causa sint merito-  
ria, propter quam Deus fi-  
dem conseruet, atque pecca-  
torum veniam continuet; in-  
eptum est, operibus, quae  
sunt fructus fidei, meritum  
tribuere, quam ipsi fidei nul-  
lum meritum tribuatur. Si  
vero haec mens est: an fides  
quatenus opus, et virtus, et ani-  
mi quaedam dispositio est, bo-  
nis operibus augeri, et, ne ex-  
tinguatur, conseruari possit?  
item: an per bona opera a-  
scendatur ad gradus superiores  
sanctimoniae? an pietas, (non,  
quidem vt meritoria causa)  
aliquo tamen modo impel-

lat, et permoueat Deum, vt  
donorum et virium spiritua-  
lium numerum, ac gradum  
augeat? tuto potest affirmari,  
quod hoc sensu operibus fides  
conseruetur. (Sol. Decl. Art.  
III.)

(g) Notio sacramenti, qualis  
nunc obtinet, non vna simul  
die coepit, sed sacramenti no-  
tis primis sensum adiectae sunt  
notae aliae. Prima cum Pon-  
tificiis fuit lis. Hi, sacramen-  
ta quamuis septem haberent,  
ignorare tamen videbantur,  
quid sint. Vna MELANCH-  
THONIS distinctione, inter  
sacrificium et sacramentum,  
totum Missae aedificium, co-  
lumna maxima Papatus, rue-  
bat. Ex quo factum, vt in li-  
bris contra Pontificios, loquu-  
tiones adhiberentur, ad hos  
quidem redarguendos satis  
aptae; Sacramentariorum ve-  
ro nugis declinandis non suffi-  
cientes.

"voluntatis erga Deum, sed voluntatis Dei erga nos  
 "atque promissiones (siue res ipsae promissae) per sacra-  
 "menta exhibentur et ostenduntur." (*Ibid. Art. XIII.*)  
 Igitur in ecclesiis his, quarum ex disciplina, confessio pri-  
 uata et absolutio cum sacrae coenae distributione coniun-  
 gitur, dici potest: homines *sacra coena* remissionem  
 peccatorum consequi. "Ideo ad sacramentum accedimus  
 "vt eiusmodi thesaurum ibi accipiamus, *per quem et in*  
 "quo remissionem peccatorum consequamur." (*LUTHE-  
 RVVS Cat. Mai. p. 555.*) In aliis ecclesiis, in quibus abso-  
 lutio sacram coenam vno vel pluribus diebus praecedit,  
 in sacra coena, remissio peccatorum iam impetrata, ob-  
 signatur, et res ipsa, quae pro peccatis oppignorata fuit, acci-

cientes. In Augustana Con-  
 fessione, eiusque Apologia, et  
 in Articulis Smalcaedieis, sa-  
 cramenta passim *signa, sigilla,*  
*symbolae, res externae, res*  
*mere externae* appellantur, ne-  
 que cuius generis haec signa  
 sint, indicatur. Quum vero  
 ZWINGLIUS, cum suis, in  
 alia discederet, theologi cir-  
 cumspectius, inprimis de sa-  
 cra coena, loqui coeperunt;  
 quod ex Catechismis LUTHERI,  
 et Epitome articulo-  
 rum, de quibus controuersiae  
 motae fuerunt, intelligitur.  
 Superueniebat *Crypto-Calui-  
 nianismus* Saxoniae, cui quum  
 MELANCHTHON natales  
 dedisse videretur, qui istorum  
 temporum vnus omnium et  
 elegantissimi ingenii et ab o-

mnis philosophia instructissi-  
 mus habebatur; essetque peri-  
 culum, ne tanti viri auctoritas  
 veritati obesset: ad eum cer-  
 tatum confutandum, praestan-  
 tissima quaeuis ingenia, quic-  
 quid sani habebat Scholastico-  
 rum philosophia, afferebant.  
 Tum signorum genera distin-  
 gui coepta: tum *unionum*  
*species separatae*: tum *prae-*  
*sentiarum modi* definiti: vt  
 iam nihil addi posse videatur.  
 Tempora quippe, etiam hac  
 in re, distinguenda; et, quae  
 in formulis scriptorum contra  
 Pontificios, deesse videantur,  
 ea ex posterioribus scriptis  
 non tam emendanda sunt qui-  
 dem, (nihil enim continent vi-  
 tii,) quam supplenda, *omni-*

accipitur. "Ob eam rationem sacramenta sigilla gratiae  
 "vocantur, quae ad promissionem appensa; vnicuique  
 "credenti promissionis Euangelicae certitudinem confir-  
 "mant." (Sol. Decl. p. 807.) Quapropter sacramenta ha-  
 bent duplicem vim, consolandi; et ad laudem Dei ex-  
 citandi; prior ad Conuersionem et Iustificationem, po-  
 sterior ad Sanctificationem pertinet; vtraque vero cum  
 altera intime coniungitur. (Apol. p. 268.) Initium reno-  
 nationis et sanctificationis in Baptismo fit, quo ipso et-  
 iam peccata remittuntur. (p. 639.) Totum sanctificatio-  
 nis negotium, quod submersione veteris, et restauratione  
 noui hominis absoluitur, sensu *Baptismi* mystico adum-  
 bratur. Il, qui in Baptismo regenerantur, accipiunt *liber-*  
*rarum* arbitrium, quod nouae vitae principium est. (p. 675.)  
 Deinceps, *corpus et sanguis Christi* nequaquam res otio-  
 sa et infrugifera esse potest, quae nihil fructus aut utilita-  
 tis afferat; sed *sanguis Iesu Christi, filii Dei, emundat nos*  
*ab omni peccato.* Id autem non tantum de merito sangui-  
 nis Christi, in cruce semel perfectò, accipiendum est; sed  
 Iohannes eo loco de ea re agit: quod in negotio iustifica-  
 tionis, non tantum natura diuina in Christo, verum et-  
 iam ipsius sanguis per modum efficaciae nos ab omni  
 peccato emundet." (Sol. Decl. p. 776.) Haec emundatio  
 a peccato, vel *externa* est, vel *interna.* Illa, reatus et poe-  
 na peccati in iudicio diuino tollitur. Hac vero, domi-  
 nium peccati in nobis ipsis supprimitur. Prior, ad iusti-  
 ficationem; posterior, spectat ad sanctificationem. Vnde  
 caro Christi non solum in se viva est, sed etiam per com-  
 municationem idiomatum diuinae naturae, viuifica est.  
*Viuificus cibus* appellatur, et virtus viuificandi ipsi tri-  
 buitur. (Ibid. p. 176. et p. 782.) Vnde sacra coena, no-  
 uae vitae alimentum quotidianum, dicitur, (p. 556.)  
 nosque per sacramenta Deo vniri et copulari dicimur.  
 (p. 553.)

Alia me-  
dia San-  
ctificatio-  
nis.

Sunt, praeter haec, alia media sanctificationis, quae cum iustificatione cohaerent. Eo referuntur 1) *Preces*: "Nihil enim oratio misericordia Dei, quando creditur, nos propter Christum pontificem exaudiri. (*Apol. p. 131.*) Misericordia autem Dei, et Christo pontifice, nisi non possunt, nisi hi, qui in conversione, ad recipiendam misericordiam, facti sunt idonei, et in iustificatione vti sunt Christo, ut Pontifice. Intercessio gratiosa, altera illa pars officii Christi sacerdotalis, supponit primam, nempe sacrificii oblationem. Inter media sanctificationis referuntur 2) *Tentationes*. Hae, sine precibus superari non possunt." (*p. 531.*) 3) *Calamitates* huc pertinent, quae in iustificatione amittunt formam poenarum. (*p. 139.*) 4) *Communio sanctorum*, qui remissione peccatorum vniuntur. (*p. 497.*) Huc pertinet *verbum Dei*; quod Spiritus Sanctus, in iustificatione donatus, magis magisque revelat et praedicat. (*p. 479.*) Porro, *spiritualis manducatio corporis Christi*; sine qua sacramentalis manducatio nihil prodest. (*p. 744.*) *Inhabitatio Dei*; quae sequitur demum antecedentem fidei iustitiam. (*p. 69.*) Denique *mors*; qua sanctificatio absolvitur; et quae desinit terrorem esse iustificatis. (*p. 501.*) Finis autem iustificationis est sanctificatio. Ideo iustificamur, ut iusti bene operari et obedire legi Dei discamus. (*Apol. p. 134.*)

Pag. 13. lin. vlt. pro *ostendit*, legi debet *ostendunt*.

CLARISSIMO ET DOCTISSIMO AVCTORI,  
DISSERTATIONIS

IOH. CHRISTO ALBER  
ARTIVM LIBERAL. MAGISTRO

S. D.  
IOH. BENEDICTVS CARPZOV

*Rem dignam suscepisti, et bene idoneam studio Tuo, dum  
animum appulisti ad eam theologiae partem, quae omitti-  
tur a multis, ac despicitur, sed quae utilitate se sua com-  
mendat ea, ut partes non tueatur theologi, qui hanc ne-  
glexit. Vtinam, qui literis diuinis operantur, et qui se  
praeparant numeribus sacris, his eo nomine partibus non  
desseant, ac symbolicae theologiae propius adhaerent. Prae-  
stat enim, potius antiquam, et verbo Dei consentaneam,  
doctrinam nosse, quam nouas illas, saepe lutulentas, ac phi-  
losophicae in modum demonstrationis contaminatas, hodiernorum  
quorundam theologias lambere. Iam in hac quidem  
dissertatione Tua, etsi noui nihil asferre potuisti, veritates  
tamen exhibuisti graues, et certas, prout eae, ad normam li-  
terarum sacrarum conformatae, traduntur in libris symboli-  
cis, quorum verbis cum maxime meditata Tua explanasti.  
Reddo Tibi, hanc Tuam vnice, sed bonae notae, disserta-  
tionem, in qua, siue immutare, siue ex historiis, aut alium-  
de,*

de, hinc inde, quaedam addicere, quoniam huius Tui ingenii erat specimen domum perferendum, propterea nolui. Neque tamen dubito nihilominus, si, quorum in manibus sunt fortunae Tuae, ad hos peruenerint hi isti conatus Tui, quin laudaturi, tantum abest ut neglectui eos sint habituri. Habebis etiam, ita enim praesentio non vane, quod spes porro de Principe illo Magno, patriae tuae Patre, cuius benignitatis es admirator, ac totum te illi dedis, studiorumque Tuorum fortunam permittis. Ego sane in spem venio non leuem, fore, ut pulchros aliquando et uberes fructus referas patriae, et muneri olim impositus, de coetu, fidei Tuae credito, bene mereare. Iam vnice id ago, ut gaudeam Tua causa, de hoc specimine Tuo primo, graui, nobili, eruditionis theologicae et orthodoxae teste, quin assiduitatis pieae ornamento. Quam pietatem et industriam si amplius tenebis firma, ut non dubito, possessione; dabit Deus, ut, in patriam reuersus, Te singulis literarum, sacri praesertim studii, existimatoribus probes. Ita Numen postulo immortale, ut Tibi omnia bene ac felicissime eueniant. Dabam Helmstadii, in Academia Iulia Carolina, A. D. XXI Iunii, A. I. S. MDCCLXI.







00 A 6366

ULB Halle 3  
002 928 035




Sb.

002

Retra. ✓







77/10

DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
NEXU CONVERSIONIS  
IUSTIFICATIONIS ET SANCTIFICATIONIS  
EX SENTENTIA  
LIBRORVM SYMBOLICORVM

QVAM  
SVB PRAESIDIO  
IOHANNIS BENEDICTI  
CARPZOVII

ABBATIS MONASTERII REGIOLOTHARIENSIS  
SACR. THEOLOGIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS  
PVBLCI ORDINARIJ

A. D. XXIIIIVNII A. I. S. MDCCLXI

IN  
AVDITORIO MAGNO THEOLOGICO  
PVBLCI TVEBITVE

AVCTOR  
M. IOH. CHRISTOPHORVS ALBER  
VVRTENBERGO SVEVVS

HELMSTADII  
LITERIS IOHANNIS DRIMBORNII

